





BIBLIOTECA CENTRALE DI MEDICINA - TRIESTE

**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICO - PRACTICA  
DE  
**HAEMORRHOIDIBUS**

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI  
DOMINI  
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,  
PERILLUSTRIS, AC SPECTABILIS DOMINI  
DECANI,

NEC NON  
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM  
D. D. PROFESSORUM,  
PRO  
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA  
RITE OBTINENDA  
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE VINDOBONENSI  
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

*Josephus Flecksberger,*

Tirolensis Hoedicollensis.

---

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus  
die Octobris MDCCCXXXVI.

---

VINDOBONAE.

TYPIS ANTONII BENKO.

MDCCCXXXVI.

# DEPARTMENT

OF THE MEDICAL PRACTICE

# UNIVERSITY OF CALIFORNIA

IN

THE

DEPARTMENT OF MEDICAL PRACTICE

AND OF THE HISTORY OF MEDICINE

OF THE

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

AT THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY

1900

BY THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

LIBRARY

OF

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY

IN THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

AT THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY

*Stephen H. Hays*

Professor of Medicine

UNIVERSITY

OF CALIFORNIA

BERKELEY

**VIRO INTEGERRIMO**

**FAUTORI SUO**

**DOM. DOM.**

**ANT. HOERBMANN**

**PERPETUUM**

**VENERATIONIS ET GRATITUDINIS**

**IN**

**MOMENTUM**

offert

**DEVOTISSIMUS AUCTOR.**

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis  
Causa, sed — , officiumque fuit.

*Bernard Ramazzini*  
de morbis Opificum.



# HAEMORRHOIDES.

## Notio.

**S**ecundum etymologiam *haemorrhoids*, germanis goldene Ader, ab αἷμα et ῥέω, quemvis sanguinis fluxum significat; intelligimus vero in specie morbum haematopoëseos vitiatae, qui in systemate venae portarum focum cognoscens criticis eliminationibus ut plurimum sanguinis per vasa haemorrhoidalia intestini recti determinatur.

## Divisio.

### A. Quoad originem, in:

1. **Haereditarias**, quae praedispositioni a parentibus ad proles translatae originem debent;
2. **adquisitas**, quae ex potentiis oriuntur quas, qui evitat, nec morbum experitur;
3. **locales**, quae localem;
4. **universales**, quae universalem causam agnoscunt.

### B. Quoad decursum, in:

1. **typicas**; 2. **atypicas**, prouti singuli paroxysmi cum ordine quodam vel sine ullo revertuntur;
3. **completas**, quae decursum suum critica evacuatione absolvunt;

4. non completas, a) dishaemorrhoides, quae molimina nonnisi exhibent, b) suppressas, quae jam fluentes, subito sistuntur.

C. Quoad relationem ad alios morbos, in:

1. simplices, quae nullis aliis;
2. complicatas, quae aliis morbis junguntur.

D. Quoad indolem, in:

1. criticas, quae morbum solvunt vel saltem levant;
2. symptomáticas, seu spurias; dicuntur haemorrhagiae ex ano, quae cum autonomo morbo in nulla relatione versantur.

E. Quoad formam, in:

1. regulares, quarum paroxismi criticis evacuationibus in intestino recto absolvuntur;
2. irregulares, seu anomalas, in quibus alia organa secretionem haemorrhoidalem suscipiunt.

F. Quoad symptomata singularia, in:

1. coecas, sunt intumescitiae venarum haemorrhoidalium variae magnitudinis, formae, situs, etc. unde variis denominationibus insig- niuntur:

a) tumentes, si sanguine turgent; b) inflammatae et dolentes; c) externae, si extra ani sphincterem inveniuntur; d) internae, si altius in intestino recto haerent; e) verrucosae, quae tactu duriusculae condylomata syphilitica mentiuntur; f) vesicales et saccatae in parvas vesiculas seu majores sacculos extensae.

2. Haemorrhoides fluentes, Germanis, schende goldene Uder, quae cum fluxu ex



ano stipantur; sunt a) quoad indolem: vel sanguineae vel mucosae b) quoad quantitatem vel parcae vel modicae vel profusae audiuntur pro varia humoris evacuati quantitate.

### Consideratio anatomico - physiologica.

Autopsia cadaverum docet venam portarum, hepaticam nec non cunctas pelveos venas, non solum volumine auctas, sed et crassioribus, firmiter, ast minus pellucidis et magis friabilibus membranis esse instructas.

Apparent membranae intestini recti largis vasis haemorrhoidalibus in — et externis communicantibus provisae undiquaque emollitae.

Conspicitur qui in iis continetur sanguis, obscure ruber, imo niger, decompositu facilis.

### Morbi frequentia dependet:

1. a relatione geographica. Zona temperata haemorrhoidum genesi praeprimis favere videtur, ea tamen cum distinctione, quod in illis terris, quae ad torridam spectant, frequentia crescunt; dum in polo arctico propriioribus rarius observentur arthritidi locum cedentes. Inter terras vero, in quibus fere endemice hospitant, numerantur quaedam regiones Galliae, Poloniae, Russiae et Hungariae;

2. ab anni tempore; siquidem frequentius vere et autumno occurrunt;

3. ab aetate, sexu et vitae genere — in aetologia tractandis —

4. a mala medicorum theoria regnante: Ab Hypocratis ad Stahlii usque tempora haemorrhoides medicis notum exhibere morbum et sat frequentem. Illo vero duce tanti honoris a plurimis medicis habebantur, ut fere ubicun-

que earum suppressionem reliquorum morborum matrem suspicarentur.

Ast mox corruiit theoria haemorrhoidalis opugnante potissimum immortalis de Haën, aliisque pluribus et cum illius lapsu morbi frequentia imminuebatur.

## Hypotyposis.

Diversissimorum symptomatum agmen morbum a primis moliminibus usque ad fluxum cruentum fidi socii concomitantur.

Primordia repetuntur a turbato vasorum abdominalium sanguinis circulo, congestionibus et crasi vitata; quo pertinent sensatio pressio- nis et tensionis in epigastrio, habitualis ut pluri- mum alvi obstipatio, congestiones ad abdomen, pectus et cerebrum alternantes, faciei color squa- lidus, oculorum annulus lividus, dysphoria, ce- leris defatigatis. — Associantur his quo ma- gis morbus evolvitur congestionis ad vasa pel- veos symptomata:

Sensus ardoris, dolor tensivus in regione sacrali; sensus plenitudinis et pulsationis in in- testino recto, ad perinaeum sudores molesti, nonnunquam et impetigines peculiare, lichen. serpigo haemorrhoidalis dicta; glandis et ure- thrae titillatio, disuria, ischuria, priapismus etc.; intumescunt venae intestini recti, quae saepe saepius inflammantur, dolore vehemen- tissimo stipantur, nonnunquam exulcerantur, imo gangraena corripiuntur; protruduntur ex- tra sphincterem sub alvi excretionem haud raro periculo plenae. Apparet febricula vespere re- deuns.

**Symptomata fluxus haemorrhoidalis.** Tandem symptomatibus ad fastigium redactis sequuntur excretiones alvinae nigricantes sub intollerabilibus fere doloribus mucosae et sanguine intermixtae. Serius major minorve sanguinis meri quantitas per anum emanantis odor specificus, color peculiaris, decompositio facilis. Mitigantur symptomata et tandem evanescent.

### Morbi forma.

Quam dedimus hypotyposin tantummodo regulari morbi decursui convenit; verum tamen non raro hic a consueto tramite aberrat, unde aliae morbi formae emergunt pro vario organo et systemate, quod haemorrhoidibus corripitur, variis atque variis symptomatibus distinguendae. Duo sunt momenta, quae hujus vitii causas accusamus:

1. Aliorum organorum valetudinem adversam,
2. Subitanam intestini recti haemorrhoidum suppressionem.

Constat enim ex pathologicis, si quod organon aegrotat vel irritatur quocunque modo, haemato-synphoresin allicere et invitare, id quod praecipue fit, si potentiae in organa primaria adfecta ita agunt, ut in his processum morbosum suppressere valeant, tali modo e. g. oriuntur haemorrhoides cerebrales, ex nimia intentione animi facultatum, haemorrhoides pulmonales ex catarrho hujus organi, si haemorrhoidum decursus regularis ex causa suppressitur.

### Referuntur ad formas frequentiores.

1. In systemate uropoëtico:
  - a) Haemorrhoides renales, rarissima forma.
  - b) Cysthaemorrhoides seu haemorrhoides vesicae urinalis, quae etiam synchronice cum iis intestini recti occurrunt.

- c) Urethrales, quae urethram obsident.
2. In systemate genitali :
- a) Prostraticae fere plerumque per consensum a recto vel vesica.
- b) Uterinales et vaginales.
3. In systema chylopoëtico : melaena seu morbus niger Hypocratis, colica haemorrhoidalis, vomitus cruentus.
4. In systemate respiratorio : pneumorrhagiae haemorrhoidales etc.
5. In systemate cerebri et medullae spinalis : haemorrhoides cerebrales et spinales.

### N o s o g e n i a .

Si qui haemorrhoidum fontem mere localem, non ultra rectum extensum, cognoscunt sive a vasorum haemorrhoidalium abnormi organisatione; sive processu vitali vitiato, sive stasibus in illis; ii certe non nisi morbi localis originem explicant, nequaquam illius, qui in universo organismo causam sibi repetit.

Earum vero causam proximam invenimus in systemate vasorum sanguinis venosi, quod in hepate et vena portarum centrum suum agnoscit.

Patet enim ex physiologicis hepatis maxima dignitas, quam in haematopoësin exercet, siquidem non modo directe chylum suscipit et in sanguinem immutat, sed etiam hunc a phlogisticis, hydrogenio, carbonio et aliis fragrantibus liberat.

Praeterea vasa venosa majore volumine, extensione et expansibilitate gaudent, quibus majorem sanguinis totius quantitatem suscipiunt et reservant.

Quidquid igitur sanguinis venosi in arteriosum permutationem impedit, seu per secretiones et excretiones normales imminutas, seu per ab-

usum ingestorum, phlogisticis scatentium, seu per imminutum influxum systematis nervosi plethorae et stasibus venosis et simul dyscrasiae ansam praebet, quae quo magis evolvuntur, etiam systema arteriosum, nervosum et varia organa compati cogunt. Proxime vero venositatis (sit venia verbo) adauctae symptomata in abdomine, foco scilicet morbi, adparent. Huc potissimum referuntur sensus oppressionis in epigastrio, pulsationis venae portarum, congestiones ad organa abdominalia, hypochondriae et melancholiae signa, ut praetermittam ea, quae ex universali fonte derivata diversa systemata praebent pro magna parte in moliminibus ad haemorrhoides enumerata.

Quo magis vero disharmonia increscit, eo magis naturae conservatricis conamen evigilat, eam sub criticis evacuationibus ad mutuum exaequationem reducendi.

Sunt itaque haemorrhoides nobis morbus universalis, qui in haematopoësi laesa et plethora venosa fontem suum agnoscit evacuatione sanguinis critica terminandus.

### A e t i o l o g i a.

Momenta, quorum concursui in organismo cujuscunque morbi hinc et haemorrhoidum origo innititur, sunt alia interna seu proëgumena, alia externa seu procatarrtica.

Referuntur ad interna:

1. Hæredium. Experientia docet, prolem a parentibus haemorrhoidalibus natam, eodem morbo plerumque premi.
2. Sexus; mares haemorrhoides saepius patiuntur, quam feminae, quamvis et hae eas non raro experiantur.
3. Evolutio periodica; favet iis praecipue aetas virilis (ab anno 38—45 culminationem

atingunt), aetate infantili vix unquam, juvenili raro occurrunt, nisi dispositio haereditaria morbi eruptionem praecocem producit.

4. **Constitutio**; frequentius observantur in individuis, in quibus systema venosum et organorum abdominalium praevalet.

5. **Corporis pars**; saepius in organis occurrunt; quae infra diaphragma, quam quae supra locata sunt.

6. **Organa**; vasa haemorrhoidalia recti ut plurimum, genitalia saepius, lien, pulmones et cerebrum rarius, renes rarissime haemorrhoidibus premuntur.

Ad externa recensentur praecipue:

1. **Relatio alimentaris**; abusus ciborum et potuum stimulantium, fragrantium, carbonio scatentium, quae sanguinis venosi praevalentiam incitant.

2. **Vitae genus**; vita sedentaria, qua sanguinis circulus per vasa abdominalia turbatur.

Hinc praecipue petuntur sutores, textores, sartores, artifices atque homines litterati. Praeterea frequentia itinera in rhedis male constructis. Eodem modo agunt.

3. **Obstructiones viscerum abdominalium**, hepatis, lienis, mesenterii etc.

4. **Turbae psychicae**; animi pathemata deprimentia, curae graves, tristitia, moeror, quibus ex imminuto nervorum systematis gangliaris influxu vasorum irritabilitas deprimitur atque circulatio per ea retardatur.

5. **Momenta mechanica**; retentiones faecum longiores consuetae, faeces durae, calculi vesicae, suppositoria, quae praesente diatesi haemorrhoidali morbi eruptionem accellerant.

6. **Provocatio artificialis**; eo tempore, quo pillulae Becheri et Stahl's Helleboro, Aloë, Colocynthide aliisque drasticis compositae longe

lateque divulgato usu gauderent, haemorrhoides artificiali modo provocatas esse, experientia constat.

## Morbi decursus

mere chronicus ad annos extensus, imo cum vita nonnisi finiens, nisi naturae criticis conaminibus aut medici prudentia pro tempore vel ex asse tollitur.

## Ex i t u s.

1. In sanitate m, morbus seu totalitas nonnisi per lises valetudini locum cedit.

2. In alios morbos, a. in hydropem, duplici ex fonte, vel ex plethora abdominali systematis venosi indolis activae, - vel ex profuso sanguinis fluxu atque dissolutione characteris torpidi.

b) In inflammationem praecipue ex suppressis haemorrhoidibus.

c) In degenerationem carcinomatosaam recti, prostratae, uteri, praepremis praesente discrasia e. g. scrophulosa, syphilitica.

d) In tuberculosin v. g. ventriculi, pulmonum, cerebri.

e) In maniam ex affectione viscerum abdominalium systematis gangliaris et cerebralis morbo haemorrhoidali provocata.

f) In emphraxes viscerum abdominalium, hepatis, lienis etc.

3. In mortem; a.) ob profusam sanguinis jacturam, praecipue in irregularibus, in quibus haemorrhagia, per se periculosissima difficiliter sistitur.

b) Ob congestionem nimiam organi functionem tollentem v. c. per cerebri seu pulmonum apoplexiam.

c) ob degenerationem organorum, quae eorum activitatem paulatim subvertit v. c. per dilatationem cordis.

## Prognosis.

Quae probabilem, praesagiunt exitum momenta, sequentia eminent:

1. Diathesis haereditaria et habitus haemorrhoidalis in genere tristem admittunt prognosim, morbo scilicet vitae totius quasi partem sistente non raro ea solum extinguenta.

2. Duratio morbi: quo diutius jam existit eo difficilius sanationem admittit et vice versa.

3. Decursus: a) quoad stadium molimum, quo diutius et intensius molimina ad haemorrhoides saeviunt, quin fluxus criticus subsequatur, eo tristius statuitur praesagium, quippe quae organorum nobilium desorganisationi et congestionem vitam periclitanti favent.

b) Quoad stadium fluxus cruenti ipsius; a. quoad levamen; qui morbum autonomum mitigat repetitis libus laetiore gaudet prognosi, dum e contra morbum exasperans infelix damnatur, quoad quantitatem; modicae quantitates sanguinis evacuati faustae, profusae in recto vesica, utero, periculo plenae, in internis organis lethales reperiuntur.

c) Quoad suppressionem, haemorrhoides jamjam fluentes, si subito supprimuntur, ad periculosissimas recensentur, quippe quum inde exoriantur inflammationes organorum nobilium v. g. encephalitis, pneumonia, enteritis, hepatitis, splenitis, metritis, cystitis — efflorescentiae et impetigines, erysipelas, scabies, herpes, furunculi — respirationis anomaliae: dispnoea, anxietas asthmatica, suffocatio orthopnoica; — caenesteseos laesiones: vertigo, cephalalgia, hemi-crania, cardialgia, colica, ischias, dolores arthri-



tici; — apoplexia, — paralysis, — imo et mors subitanea.

4. **Morbi forma**; regulares haemorrhoides irregularibus minus periculosae, quae omni malo eo magis patent, quo major organi dignitas, quod vicario processu morbofungi cogitur.

5. **Complicatio**; tum cum morbis ejusdem organi, quod secretionem vicariam suscipit, tum cum morbis dissitorum organorum et systematum sanitatis restituendae difficultatem valdopere auget.

6. **Aetas**; quae invadunt aetatem virilem laetiore gaudent in genere prognosi, quam quae juvenes vel senes decrepitos petunt; in illis morbis chronicis hydropi, ictero, aliisque labibus abdominalibus viam sternunt, in his vires exhauriunt, mortemque accellerant.

## **T h e r a p i a.**

Præcipuae quae medicum haemorrhoides tractaturum dirigunt indicationes a morbi momentis causalibus, forma, symptomatibus singularibus etc. repeti debent.

1. **Indicatio prophylactica**. Haec tum non nisi locum suum defendit, ubi diathesis haereditaria morbi eruptionis periculum involvit. Huc pertinet remotio omnium momentorum, quae plethoram abdominalem et sanguinis characterem abnormiter venosum producere valent. — Adipiscimur hunc finem vitae genus ab incunabulis strenue ordinando.

Conveniunt: aër purus moderate calidus, vestimenta anni temporibus coadaptata — motus moderatus in aëre libero, itinera aestate in Helvetiae et Tirolis alpes, hieme in Italiam, Galliam meridionalem — victus simplex, digestu facilis, caro recens, tenera, vitulina, pullina, vegetabilia tuberosa principio saccharino abundantia —

aqua pura pro potu vel modica quantitas cerevisiae parco humulo paratae — societas hilaris.

Nocent vero somni et vigiliarum excessus — animi pathemata deprimentia, nimia mentis intentio — commestio pinguium, tenacium, farinaceorum et ciborum aromaticis, pipere, cardamomo, zingibere etc. conditorum — hæustus incautus potus arabici, theae chinensis, vinorum gravium — compressio abdominis per fascias, thoraces etc. et omnia superioribus opposita.

2. **Indicatio morbi.** A. **Plethora venae portarum** infringenda est per purgantia et diaphoretica leviora: Tartratem lixiviae neutrum et acidulum, fructus Tamarindorum, Sulphur etc.; inter quae conjunctio cremoris Tartari cum Sulphure maximam famam nacta est — crasis sanguinis venosa corrigenda per solventia: Alcalia pura, Lixivam, Magnesiam carbonicam et Natrum carbonicum, Cancrorum lapides et reliquos Calcis sales.

B. **Digestio et chylificatio emendanda** a) per Pharmaca. Excellunt hac virtute tonica, in quibus ea eliguntur, quae virium digestivum variae temperiei correspondent; in genere a levioribus incipiendum ad fortiora ascendendum et fortissimis claudendum; inter quae a practicis laudantur: Extractum Graminis, Taraxaci, cardui Benedicti, Centaurii, Trifolii fibrini — Corticis Peruviani, Ferrum.

b) per diaetetica, quorum in prophylaxi mentionem fecimus; commendantur praeterea fructus horaei et serum lactis.

C. **Evacuatio critica** finibus certis circumscribenda.

a) Si sub fluxu parco vel nullo venae turgent et symptomata fluxum regularem antecedere solita e. g. anxietas cephalalgica, cardialgia, colica, dolor in regione sacrali, prurigo ad anum etc. per longius temporis spatium ingravescunt, tunc ille

leniter praepediatur per attrahentia leviora et pel-  
lentia: pediluvia tepida, applicationes Spongiae  
aqua calida imbutae ad anum, vaporibus emollien-  
tibus ad eundem locum derivatis, usu interno  
Tartari tartarisati, Cremoris Tartari, extracti Sa-  
ponariae, Taraxaci, Graminis, Sulfuris praecipiti-  
tati, quiete strenua, situ horizontali et diaeta con-  
grua.

b) Si fluxus haemorrhoidalis modicus appa-  
ret, si symptomata morbosa sub eodem immi-  
nuantur; omnia evitanda sunt, quae eum intercipe-  
re valent. Huc inter alia spectant: nimia ventriculi  
oppletio, equitatio et vectio excedens, ut prae-  
termittam ea, quae in prophylaxi nociva enumera-  
vimus.

c) Si fluxus nimius vel diutius persistens aegri  
vires exhaurit, imminuatur vel etiam paulati-  
m tollatur oportet per infusum Achilleae millefo-  
lii aliquoties de die vasculo coffeano frigide sum-  
mendum, per infusum Zingiberis, per acidum  
Halleri cum priore in connubio, vel per infusum  
foliorum Aurantii, per decocto — infusum ex Chi-  
na, Quassia, Angustura et flavedine corticum Au-  
rantiorum vel Calamo aromatico, Achillea Millefol.  
paratum; per inunctiones spirituosas abdominis  
sine vel cum tinctura Opii.

d) Fluxus excedens mortis repertinae pericu-  
lum minans, vel exhausta individua et senes de-  
crepitos petens apparatus therapeuticum fortio-  
rem imo fortissimum poscit.

Praeter supra memorata internus usus Ferri  
sulfurici, Aluminis, Gummi Kino; externus lactis,  
emulsionis frigidae, aquae frigidae, mucilaginis  
gummi arabici, infusi Salviae, decocti Gallarum,  
Quercus, Bistortae, Tormentillae, Aluminis, vi-  
trioli martis, Plumbi acetici, cataplasmatibus,  
clysteribus, spongiis etc. suscepti.

Quorum si remediorum effectus votis responderunt, intestinum rectum roborandum erit per infusa et decocta Achilleae millefolii, Lichenis Islandici, radicis Tormentilae etc.

D. Haemorrhoides anomala e in regulares permutandae sunt, sive progressae fuerint ex suppressis, sive constituerint morbos primarios.

Remedia quae huic scopo satisfaciunt in externa et interna dispesci possunt, quorum priora attrahentia, posteriora pellentia vocantur. Attrahentibus accensentur: Pediluvia, vapores ad intestinum rectum derivati, fomenta calida ani orificio opposita, enemata leniter stimulantia, frictions femorum, cucurbitae et hirudines perinaeo impositae, in pede venaesectio, quae eo magis convenit, quo magis plethora in individuo aegrotante evoluta ad sanguinis missionem invitat.

Ad pellentia pertinent Borax Venetus, pulveres aërophori, Sulfur, Myrrha, Crocus, Therbinthina aliaque balsamica, Ferrum, Helleborus, Colocynthis et prae omnibus maxima fama gaudens Aloë. Aloës et drasticorum in genere ea mente adhibendorum usus non nisi prudentibus sub cautelis concedi potest; inflammationes et congestiones organorum atque quaevis gravior vasorum irritatio eorum usum vetant, temperamento torpido, phlegmatico correspondente cum atonia viscerum et vasorum abdominalium e. g. venae portarum. Conjungitur Aloë pro variis circumstantiis cum purgantibus; Magnesia sulfurica, Kali sulfurico, cum nervinis Belladonna et reliquis pellentibus. — Si sub Aloës cauto usu plethora in intestino recto incitata ita paulatim adaugetur, ut venis haemorrhoidalibus intumescens in regione sacrali et intestino recto sensus doloris et caloris adacti,

ad perinaeum pruritus provocentur, tunc pellen-  
tium actio attrahentibus adjuvanda erit.

**E. Organi**, quod haemorrhoidibus anoma-  
lis tentatur, congestio nimia profliganda atque  
ejus irritabilitas et sensibilitas excedens infringen-  
da est per venaesectionem, applicationem hirudi-  
num ad anum etc. per narcotica, aquam lauro-  
cerosi, Belladonam etc.

**F. Indicatio symptomatica** dirigitur in  
epigenomena molesta vel etiam periculosa morbum  
intercurrentia.

1. **Sudor, serpigio, rhagades** ani obe-  
diunt usui interno sulphuris cum cremore tartari  
lotionibus aquae tepidae et emollientibus decoctis,  
curae munditiei.

2. **Pruritus intollerabilis** et intertri-  
go ad anum unguento Althaeae, Linariae sine vel  
cum Opio, Hyosciamo profligantur.

3. **Haemorrhoides tumentes** alvi ex-  
cretionem impediens lanceola aperienda vel  
etiam majore sub periculo cultro chirurgico aufe-  
rendae sunt. Dilatationes per cereolas frustraneae,  
ligaturae per crinem caudae equinae, setam peri-  
culosae.

4. **Haemorrhoides inflammatae** ve-  
hementem dolorem et ardorem, difficilem alvum  
febrem etc. causantes medici omnem curam pe-  
tunt, quippe quae inflammatione increscente faci-  
le suppurationem imo gangraenam experiantur, qua  
iterum fistulae ani, partiales intestini recti et  
sphincterum devastaciones, et inde alvi inconti-  
nentia exortae aegri malam sortem explent.

Sub inflammatione levioris gradus applicatio  
hirudinum juxta marginem partis inflammatae, cu-  
curbitarum ad femora sufficere solet; sub graviore  
vero, febris inflammatoria validiore juncta praeci-  
pue simul favente aetate et constitutione venaese-  
ctio indicatur. Quibus peractis adhibemus cataplas-

mata et fomenta emollientia, vapores tepidos ex herba Althæae, Malvae, floribus Verbas-ci, quibus pauxillum herbae Hyoscyami admiscetur, decocta ejusdem farinae in anum injecta.

Inflammatione fracta supra commendatis fomentationibus additur parva dosis aceti Lythargiri ad contractionem provocandam.

4. Haemorrhoides internae extra anum descendentes et a sphinctere constrictae reponantur. Si sanguine turgent antea lanceolae ope ut evacuentur, necesse est; si vero neglectae jam jam in gangraenam abiere, haec coercenda est per cataplasmata et fomenta aromaticis, vino rubro, China etc. confecta. Laudant in hoc casu prae omnibus tincturam Galbani spirituosam linteolo susceptam, cui vix dictae fomentationes supra imponuntur.

5. Colica haemorrhoidalis affectionibus viscerum abdominalium spasticis, doloribus in regione umbilicali atrocibus, lancinantibus, constringentibus, intermittentibus, sensibilitate abdominis ita adaucta, ut quemvis rudiorum ad tactum recuset, illius alternantibus contractionibus et distensionibus, atque irritatione febrili distinguenda medicum ad summam attentionem provocat, praecipue ne congestionem vel incipientem inflammationem colicam haemorrhoidalem declaret, quae longe alio apparatu therapeutico eget; debellatur vero haec ope gummatum ferulaceorum: Assae foetidae, gummi ammoniaci, Sagapeni, Galbani — aetherum — Achilleae Millefolii.

6. Dysuria et ischuria sive ex inflammatione, sive ex sanguine coagulato, sive ex spastica affectione originem ducit. Priori in casu apparatu antiphlogistico, hirudinibus, emul-

sis etc. sub ulteriores injectionibus emollientibus  
ope cathederis etc. cereolis indigemus, ultimo  
inserviunt clysmata, inunctiones regionis hypo-  
gastricae, semicupia tepida, interne mixturae  
oleosae et parvae Opii doses.

W I P E S



1. ...  
2. ...  
3. ...  
4. ...  
5. ...  
6. ...  
7. ...  
8. ...  
9. ...  
10. ...



THESES.

---

1.

Haemorrhoides ad ideam sanitatis non pertinent.

2.

Haemorrhoides melius curantur, quam sanantur.

3.

Eum recte curaturum esse dicunt, quem prima origo non fefellerit. Cels.

4.

Optimus diagnosticus, optimus medicus.

5.

Scire licet, inter ea, quae ars adhibet, naturam plurimum posse. Cels.

6.

Medicamentum non semper aegris prodest, nocet semper sanis. Cels.

7.

Multa in praecipiti periculo recte fiunt, alias omittenda. Celsus.

8.

Nulla prophylaxis, nisi in regimine et diaeta.

9.

Quies puerperarum anchora.



10.

Frigus puerperarum pestis et terror malorum  
autor.

11.

Abortus procuratus homicidium.

12.

Lac maternum surrogato caret.

---



Dissertationes  
medico-  
practicæ.